

00

9949

Qu



DISSERTATIO ACADEMICA
DE
PHILOSOPHIA
HERMETICA VERA ET
EXPERIMENTALI,

Peregrinationum Subterraneorum Ilda
ad Tumulum Magni Hermetis consignata,

Posteaq;
IN ALMA ELECTORALI AD HIERAM
DIVINA FAVENTE GRATIA

&
Annunte Amplissimo Philosophorum Ordine
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS KIESLINGII,
Philosophiæ Hermeticæ & Experimentalis Prof. Publ. &
Assessoris Facult. Philosophicæ Extraord. &c.

Publicæ Eruditorum Disquisitioni exposita

A
JOHANNÉ NICOLAO MARTIO, Erf.
Medicinæ Studiofo,

DIE XXVII. SEPTEMBRIS STYL. VET. ANNO M DC XCIIX.

In
AUDITORIO PHILOSOPHICO COLLEGII MAJORIS
horis consuetis:

Erfarti, Literis Davidis Sumphii.



*Amicus Plato, amicus Socrates, a-
micus Aristoteles, sed magis amica Ve-
ritas;*

**Cuique sua Laus, Cuique suus
Honor, Cuique suum Decus, ac Veritati
suum invictum robur.**

ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ

in

Perantiqua Alma Hierana

DECANO LONGE SPECTABILI

Cæterisque Dnn. Assessoribus & Professoribus,

VIRIS

GENEROSO, MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMIS, CONSULTISSI-
MO, EXCELLENTISSIMIS atq; EXPERIENTISSIMIS,

DN. D. GEORG. CHRISTOPH. PE-
TRI ab *Hartensfelß* /

Sacri Palatii Cæs. Comiti, Consiliario & Archiatro E-
lector. Moguntino celeberrimo, Consuli & Phys. Erfurt. Uni-
versitatis & Fac. Med. Seniori, p. t. Decano gravissimo,
Prof. Publ. emerito, P. L. C. &c.

DN. JUSTO VESTI, Med. Doct.
& Pathol. Prof. Publ. celeberrimo, Fac. Med. As-
essori spectatissimo.

DN. JOHAN. PHILIPPO EYSELIO,
Med. Doct. Anatom. Chirurg. & Botan. Prof. Publ.
famigeratissimo & Fac. Med. Assessori Ordin. P. L. C.

DN. LUDOVICO FRIDER. JACOBI,
Med. Doct. & Chymix Prof. Publ. Fac. Med. As-
essori Ord. & Med. Milit. felicissimo.

DN. JOHANNI ANDREÆ *Sischna*
Med. Doct. & Prof. Publ. Extraordin. dignissimo.

Dnn. Patronis & Præceptoribus suis
sommè devenerandis,

VIRI

*Generose, Magnifice, Prænobilissimi,
Consultissime, Excellentissimi atque Ex-
perientissimi,*

Patroni & Præceptores

*Omni honoris atque obsequiorum cultu prose-
quendi.*

REferunt accuratiores antiquitatum scri-
ptores, Romanis olim æque ac Græcis
in more fuisse, ut defunctorum memo-
riam statis temporibus variisque modis celebra-
rent. Qui enim vel ob propinquiorem cogna-
tio.

tionem, vel sinceriores amicitiam, vel etiam
 virtutum doctrinaeque singulare studium triste
 illis reliquerant desiderium, eorum tumulos vi-
 sebant, Manes colebant, laudes repetebant,
 mœsta damni recordatione affectum dolore a-
 nimum quasi sanaturi. Ultimis hisce officio-
 rum generibus tantum aberat, ut solo exequia-
 rum die debita sua solvisse putarent, ut etiam
 tertio postea die, nono, vigesimo, trigesimo, i-
 mo anniversario solennia hæc iterarent. Nec
 sanctum quidem Dei populū quondam ab hac
 consuetudine, seposita tamen omni superstitionis
 specie, abhorruisse, sacrae literæ exemplo
 Mariæ sororis Lazari, ut & ipsius Dei paræ testan-
 tur. Ex quo etiam manavit, ut nonnulli Chri-
 stianorum prioribus seculis ad sepulchra marty-
 rum proficiscerentur, calices illò deferrent, ibiq;
 ratione minus quidē Christiana bibitent: quod
 ultimum severissime taxat Ambrosius lib. de He-
 lia & jejuniis c. 17. Plurimos Asiæ & Africæ inco-
 las adhuc non mediocres viarum suscipere mo-
 lestias, ut maximi sui vatis Mahumedis loculum
 tantummodo videre & venerari queant, ii refe-

) 3

runt

runt, quos vel durius quoddam fatum, vel nimia curiositas itineris comites esse iussit. Nec nobis igitur vitio vertetur, quod more dictarum gentium ducti, iter, quod secunda jam vice in cryptas subterraneas dirigendum erat, ad Tumulum Hermetis, magni & Philosophorum & Medicorum patris, converterimus, ibique ejusdem virtutum doctrinaeque laudes (quarum utinam non maximam partem antiquitas atque livor oblitterassent!) è Syringarum angulis haec in tabulas collegerimus, quas in Alma hac Hierana loco Monumenti in memoriam gloriae Hermeticae sempiternam nunc appendimus. Ut iis autem, Viri Magnifice atque Excellentissimi, illustre nomen Vestrum, quod silentio potius coli observarique debebat, inscriberem, me compulerunt praecocia malevolorum quorundam iudicia, quae Hermetem cum Chymia sua μεταλλουργικῆν in aurifodinis plus splendoris quam in academiis lucraturum putant, nec reputare volunt, quod abundantia rerum plerumque neglectum aut contemptum pariat, penuria vero quaerendi studium augeat. Haecce enim tamet-
 fi

401.
si non magnopere pertimescat, quise honesti la-
boris conscientia sustentat, benignius tamen &
nobiscum & cum dissertatione nostra agetur, si
ex illustri loco præsidium atque auctoritas acces-
serit. Nec minus me animavit singulare Ve-
strum erga Philosophiam nostram experimenta-
lem studium favorque, quem tam in scriptis
quam prælectionibus Vestris publicis studiosæ
juventuti ostendere non desinitis. Incitavit
me tandem summa Vestra atque admirabilis hu-
manitas, qua tenuitatem meam tum impense
favendo, tum saluberrimis doctrinis imbuendo
excepistis; cui quoniam non par sum in exhi-
benda gratæ mentis tessera, hisce minimum te-
statum esse volui, mihi ad animum gratiæ refe-
rendæ cupidum declarandum non voluntatem,
sed vires tantummodo deesse. Accipiatis igitur,
Patroni maxime colendi, observantiæ erga
vos, cultusque mei quaecumque pignus ea be-
nevolentia, qua adhuc me studiaque mea pro-
sequi fuistis dignati, idque Auctoritate Vestra
summa contra invidiam defendatis. Deum
etiam atque etiam venerabor, ut in reipublicæ
emo-

emolumentum, in ægrotantium salutem, in li-
terarum incrementum Vos diu servare velit!
Valete & Patrocinio Vestro fovete

*Viri Magnifice atq; Excel-
lentissimi*

*Dab. Erfurt. d. 27. Sept.
Ann. 1698.*

observantissimum vestrum
Servum

JOH. NICOL. MARTIUM.





403
P R Æ F A M E N.

Q UOD plerumque Naturæ mysteriis obvenire solet iis, quæ præ cæteris remota à sensuum nostrorum sphaeris existunt, ut ab hominibus aut parum curentur, aut plane negligantur, hoc & *Philosophia Hermetica* seu *Experimentalis* accidisse tam clarum est, quam quod clarissimum. Totus enim fere mundus in superficie vocabulorum hodie philosophatur, at de *Experimentalis*, reali & verè *Hermetica Philosophia* undique locorum altum est silentium. Ut non immerito quis judicet, istam simul cum ipso *Hermete* huic orbi terreno ultimum vale dixisse, & in loculum ejusdem ad subterranea descendisse. De verborum significationibus acerrimè inter Eruditos disputatur, de *Philosophiæ* autem *Vero Bono* nemo sollicitus est, quod omnes veritatis cultores unà cum percelebri nostro *Leichnero*, *ὄν ἐν ἀγίοις*, nunquam satis deplorare poterunt. Unusquisque pene notionum involucris inhæret; rerum vero notionibus indicatarum momenta plane negliguntur; Forma tantum modo est, de qua hîc sermo, objecti verò nulla ratio habetur. In superficie vocabulorum hæremus, obliti rerum, è quarum penetrabilibus veram debuissemus haurire *Philosophiam*, indeque omnino innumeræ *λογουαχίαι* & nugæ ortum trahunt: Hinc tot rixæ & dissensiones inter eruditos, tot sectæ in *Philosophia*, tot hæreses & schismata in *Theologia*. Fructuosum itaque atque opportunum est, ubique locorum Viatoribus ob oculos ponere verba *Incomparabilis ac Illustris Tzirnhusii*, *Regii Consilarii omni ex parte felicissimi & integerrimi*, quæ facit, postquam de tribus *Matheos* gradibus locutus est, in *Prefatione Tractatus* jucundissimi pariter ac utilissimi titulo *Medicine Mentis & corporis* insigniti, quorum tenor ita habet: Quod autem hîc de *Mathesi* viris ingeniosis non

A

qua

qua Philosophia nomine venit, extendendum esse videtur. Etenim, qui-
 cunque saltem terminarum & distinctionum occurrentium significatio-
 nem cognitam habet, tantumq; novit, in quot disciplinas dividi soleat,
 quot sectæ in hac à principio usq; ad nostra tempora floruerint & similia;
 infimum saltem Philosophiæ gradum obtinuisse censendus, ac nullo modo
 realis Philosophus appellandus erit, sed verbalis potius, quia vocabulorū
 magis, quam rerum notitiam habet: Quanquam hoc nomen imprimis
 applicandum iis esse censeo, qui Philosophiam infinitis figmentis e. g.
 Sympathia, Antipathia, facultatum, viriam, formarum substantia-
 lium, aliisq; quibus nempe vocibus nullus in mente sanus respondet con-
 ceptus, nimium quantum fœdarunt. Qui vero hac cognitione nomina-
 ti, quæ vel ope Lexici acquiri potest, minime contentus, propius ad
 rem accedit, ipsaque Philosophiæ interiora cognoscere aggreditur, quæ
 nimirum variarum sectarum tam veterum quam recentiorum genuinæ
 opiniones sint, quæ aliis præferenda, quæle gradatim scientia usq; ad no-
 stra tempora sumserit incrementum, & similia; hic utique ad altiorem
 quidem gradum ascendit, sed longe tamen adhuc meo iudicio à supremo
 gradu abest, cum cognitio ejus non alia nisi historica sit, ac ideo hic
 ipse Philosophi potius historialis, quam realis titulum mereatur. Hoc
 „ siquidem Philosophi realis nomen illi saltem competit, qui ad tan-
 „ tum pervenit cognitionis gradum, ut re ipsa observet, in sua po-
 „ testate esse, quicquid incognitum, sed humano tamen intelle-
 „ ctui pervium est, proprii ingenii sui viribus in lucem produce-
 re. Hæc vero distinctio maximi momenti est, dignaq; quæ in princi-
 pio hinc referatur, & probè annotetur: Hac enim ignorata vel neglecta
 pleriq; se pejus, quam quis sibi imaginari possit, sub nomine cognitionis
 Philosophicæ decipiunt, et si non plane inutilibus, ad minimum tamen mul-
 tis neutiquam necessariis ingenium occupant & fatigant. Sed præli-
 batis his propius ad scopum nostrum accedimus, ac quæ de vera
 Philosophiæ Hermeticæ & Experimentalis Existentiæ, incremento, de-
 cremento & laudibus dici possunt, paucis & perspicuis quibusdam
 thesibus exhibebimus. Faxit autem Deus Ter Optimus Maxi-
 mus, ut & hæc cedant in nominis sui divinam gloriam, Reipublicæ
 literariæ totiusque Philosophorum Chori emolumentum.

THE.

405

THESIS I.

*Philosophia (α) Hermetica vera seu
experimentalis (β) datur. (γ)*

"Ευθεσις.

(α) **P**hilosophia idem est ac *Amor seu studium sapientiae*. Com-
ponitur enim ex vocabulo *φίλος*, amicus, & *σοφία*, Sa-
pientia. *Pythagoras* omnium primus adoptavit hoc
nomen; cum enim homines ipsum *Sophum* salutarent,
neminem mortalium sapientem esse, huncque titulum
soli Deo deberi putabat, malebatque proinde *Philosophus*, quam
Sophus nominari. Vid. *Leigh*. in *Critic. Sacr. N. T.* p. 347. col. 1. in
fol. Definitur autem *Philosophia*, quod sit rerum Divinarum hu-
manarumque, nec non causarum, quibus continentur, cognitio.
Ammon. in Porphyrium.

(β) Hanc autem, nimirum Philosophiam, à multis retro secu-
lis hunc usque in diem pro diversitate principiorum certorumque
hominum opinionibus variare extra dubii aleam positum esse, ne-
mo non novit. Hinc nota est ratione auctorum *Philosophia* *Epi-*
curea, *Platonica*, *Pythagorica*, *Euclidea*, *Socratica*, *Aristotelica*,
Carthesiana, *Boylia*, *Helmontiana*, *Paracelsistica* &c. nec non
Hermetica; ratione principiorum & opinionum *Atomistica*, *Cor-*
puscularis, *Mechanica*, *Naturalis*, *Artificialis*, *Scholastica*, *Verba-*
lis, *Realis*, *Hylarchica*, *Subtilior*, *Gentilis* & *Christiana* &c.; ra-
tione certarum regionum, oppidorum & Scholarum *Aegyptiaca*,
Chaldaica, *Persica*, *Indica*, *Gallica*, *Græcanica*, *Stoica*, *Cynica*,
Megarica, *Electiva* & *Teutonica* &c. de quibus vid. *Voss.* in tract.
de *Philosophorum Sectis* & *Hornejus Hist. Philos.* Quarum nulla
equidem hoc istove nomine gaudet, quod tantummodo ex ullius
hominis arbitrio pendeat, sed potius unaquæque harum singulari
modo in explicatione & demonstratione rerum procedat, quod o-
mnino de *Philosophia nostra Hermetica vera & experimentalis* acci-
piendum, quippe quæ methodum Philosophandi secretiorem sub-
ministrat, & id, quod in verbis habet, re ipsa mortalibus ob oculos

ponit. Conf. *D. Henricus Nollus* in *Physica Hermetica*, cap. 1. p. 86. Optimo proinde jure in hunc, qui illi operam navat, pronunciaripotest effatum istud *Henrici Mori*, Anglorum Philosophi celeberrimi, quod extat in *Enchiridio Metaphysico* cap. 1. num. 2. *Ille reverà philosophatur, qui altissimas rerum causas investigat atq; invenit, quas Aristoteles contendit esse objectum sapientiae.*

(γ) Ejusmodi Philosophiam non solum quondam extitisse, sed etiam adhuc extare multis sane dubium videtur, qui vel ex incuria ad ejusdem notitiam pervenire non potuerunt, aut contenti vulgari philosophandi ratione fuerunt, aut etiam ab horum Philosophorum vitæ genere abhorruerunt. Hi enim hominum consuetudine atque usu neglecto solitudines quæ siverunt, famæ popularis egregii hostes extiterunt, Commentariaque obscuritatum & ænigmatum plena condiderunt, proindeque apud vulgus & populares mortalium cœtus memoriam famamque penitus ferè amiserunt. Vid. *Nollus* l. c. pag. eadem.

Verum quanquam hæc se ita habeant, tamen Philosophia nostra æternitati multis modis rationibusq; est vindicata, quod probatur.

1. *Innumero ferè numero scriptorum*, quæ de hac in lucem publicam per omnia secula prodierunt, quæ ex parte ipsum *Hermetem* auctorem agnoscunt, ex parte verò ejusdem sectatores.

(a) *Hermetem* ipsum memoriæ quid prodidisse, de quo eruditi semper sibi gratulari potuerint, dubium non est, & *Lactantius* de hoc post multos alios testatur lib. 1. Ille enim, quanquam nec chartæ usus eo tempore notus fuerit, nec literarum, quæ ab ipso infra inventæ perhibebuntur, columnis vel Syringis sua insculpsit, quod usu veteribus veniebat, de quo *Josephus* lib. 1. c. 2. Conf. *Stillingfleet* in *Orig. Sacr.* p. 63. 66. & 68 *Zosimus* de arte Chemica. *Olaus Borrichius* in *Sapientia Hermetis, Ægyptiorum & Chemicorum* cap. 11. §. XI. p. 41. & seqq. *Kortholt* in tractatu de origine, progressu & antiquitate Philosophiæ Chaldaicæ, Ægypticæ, Persicæ, Indicæ & Gallicæ.

Tractatus ejusdem singulares numerat *Clemens Alexandrinus* lib. VI. *Stromatum* XLII. ex quibus triginta & sex omnem Ægyptiorum Philosophiam continent, reliqui sex de Constructione corporis, de Morbis, de Instrumentis, de Medicamentis, de Oculis

lis

lis & Mulieribus ipso recensente agunt. Inter hos fuisse perhibentur: *Hymni Deorum, Vita Regiarationes, de Astrologia, Hieroglyphica, Mosi hospagistica de Sacrificiis, Hieratica de legibus & Diis Sacrorumque ratione, deniq; Medici libri, de humano corpore, morbisq; & medicamentis, de quibus posterioribus. vid. Job. Filescum in Dissertatione de Idol. Magic. §. 5. Jamblichus dicit Hermetem scripsisse de Ægyptiorum sapientia libros XXXVI. CIO. IO. XXIX. Ex hoc numero sunt, quos Franciscus Patritius passim citat Discuss. Peripat. Tom. 2. lib. 2. & 3. & Tom. 3. lib. 1. Sermo scilicet sacer, Catholicus, de Mente communi, Allocutio Mentis, Crater, Clavis, Pupilla aut Virgo, Monodia de Mundi Genitura &c. Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesner hosita recenset: Hermes Ægyptius Platonis discipulus (quod aliis cum veritate minus consentire videtur) fertur scripsisse Imaginum sive Prestigiarum libros de Annulis lib. 1. de Characteribus 1. de Sigillis. 1. de Sole. 1. de Imaginibus Martis, Jovis, Saturni, de septem annulis Planetarum &c. & tandem de verbo perfecto, ad Asclepium & de Mathesi. Clem. Alexandr. Strom. VI. refert, eum lib. IV. de Astronomia scripsisse. Superest adhuc Arabum & Sabaorum de libris Hermeticis testimonium. Citat & Hermetis librum de justitia Lactantius, Augustinus ad Asclepium, Pimandrum alii Pæmandrum) allegat Slevogtius in Disput. Academ p. 511. Disput. de Creatione contra Ebræos §. VIII. librum de Unitate Entis, de Compositione & Tabulam Smaragdinam Nollus Phys. Hermet. Append. II. de Initiatione Chemica Olympiodorus Philosophus in libro de sacra arte lapidis Philosophorum. Zosimus Thebanus citat ejusdem librum dictum Tinctura Physica. Jacobus Golius inter scripta Gebri Arabica secum in patriam attulit & opus Hermetis de Venenis & antidotis, quod adhuc Lugduni Batavorum extat. In Bibliotheca Th. Erpenii asservatus est libellus Arabs, titulo Hermetis de Lapidibus pretiosis. Ut taceamus nunc Hermetis ἱερῶν βιβλία seu tabulas sacras, de quibus ad Ptolomæum Philadelphum Manethos, ut apud Eusebium legimus in Chronicis; Γενικὰ τῶν ἑρμῶν, de quibus iterum Eusebius; Myriogenesin, de qua Julius Firmius Maternus lib. V. cap. 1. & alia. Hos libros quidem omnes non pro veris, sed supposititiis habent. Vossius de Theologia Gentili: Ursinus de Hermete Trismegisto, Arnoldus in Specilegiop. 53. seqq. Conringius in Animadvers. & alii, quibus verò à clarissimis nonnullis viris ex asse jam satisfactum est,*

A 3 ut



ut nobis hic novo certamine opus non sit, demonstrato enim vero Hermete, veritas etiam ejusdem librorum non adeo periclitabitur.

(b.) Hermetem omnibus seculis suos habuisse discipulos, demonstratu non adeo difficile erit; tantus enim scriptorum de Philosophia nostra numerus est, ut istum vix capere possit mundus. De quibus autem lector probe monendus, ne promiscue ejusmodi libris utatur, siquidem multi sophistas & deceptores auctores habuerunt. Quinam ex omnibus optimi sint, alia jam jam occasione dictum est, quibuscum conferatur *Borrichii* conspectus scriptorum Chemicorum illustrium.

2. *Laudibus magnificis*, quibus ad sidera usque contra malevolorum invidiam ab illustrissimis viris semper evecta est. Post illustrium stemmate & eruditione virorum encomia Philosophiæ nostræ singularia, quæ in literis ad nos gratiosè datis & manu propria exaratis extant, illud tantummodo huc addam, quod habet *Nollius* in *Phys. Hermet.* cap. 1. pag. 87. *Quis Lunam guttulam de sapientia nostra semel degustaverunt, illis ita lux affulgebit, ut nunquam ad - - - inane altercandi studium, quod in scholis hoc tempore tanquam precipuum ad sapientiam momentum admittitur & floret, redire cupiant.* Philosophi enim vulgares, vel teste *Lipsio* in præfat. lib. 1. de *Constantia*, in spinis argutiæ aut laqueis questionum male dediti non aliud, quam subtili quodam disceptationum filo texunt eas & retexunt. Herent in verbis aut captiunculis: & ætatem totam in aditu Philosophiæ versantur, adytæ ejus nunquam vident. Habent eam ut oblectamentum, non ut remedium & instrumentum vitæ maxime seriæ, vertunt in ludum quendam nugarum &c. hæc *Lipsius* *Aliorum cogitatis censendis & judicandis qui integrum studiorum cursum impendunt, & vanitatibus istiusmodi delectantur, procul à lumine absunt, & tenebris rationem impletam secum gerunt.* Nostra Philosophia lucis plena est. Hactenus *Nollius*. Quis igitur adeo vitio verteret *Francisco Parritio*, quod referente *Stillingsfleetio* *Orig. sacr.* p. 232. optarit, ut *Hermetica Philosophia* loco *Peripatetica* ubique terrarum introduceretur. Imo nec in Alma Hierana nostra Philosophia nostra *Hermetica* experimentalis ad Garamantes plane relegata est, sed Viris in Republica literaria illustribus & conspicuis in pretio habita, sicuti nuper summè Reverendus & Excellentissimus Dominus P. *Maurus*
Stu.

Stuart, Doctör Theologus, & Ecclesiæ suæ Decus maximè conspicuum, nec non Phyces Professor longe celeberrimus in Disputatione sua per quam eruditè conscripta Thes. 1. lit. (e) unitatem. Mundi his egregiis *Hermetis Trismegisti* verbis adstruxit: Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem.

3. *Diversitate principiorum.* Diversa enim est hæc Philosophia nostra à vulgari, quæ naturam in natura, & non solum in Paganorum libris investigare annitur. Hujus Amatores non nudis speculationibus inhærent, quanquam & ipsis nihil facilius foret, quam scripta autorum evolvere, & puris manibus formare de omnibus judicia; sed cum advertant, parum hac via promoveri historiam naturalem, malunt vigilatarum, inter labores catenatos, noctium fastidia devorare, malunt abditas rerum causas experimentis eruere, & carbonibus immergere manus, quam ut seculum suum à posteritate ob experiundi ignaviam atro carbone notetur. Nondum sane occupata est natura, multa adhuc delitescunt in puteo Democriti, sudore magis operantium in lucem protrahenda, quam genio speculatorum. Ingenuè ita fatemur, Philosophiam nostram non esse ullius hominis, Regionis aut Principii servam, non Syncretisticam aut Hostilem, de qua vid. *Job. Jacob. à Ryffel* in Continuat. tractatus *Vossii* de Philos. sect. cap. XIV. sed liberam & veritatem ex natura ipsa eruentem, salva pace omnium, cujuscunque etiam sectæ aut regionis aut scholæ sint, Philosophorum. Patescit & hoc.

4. *Totarum nationum calculo*, quibus contradicere in mundum ferè universum arietare foret, quod compositi ingenii non est. Incorruptus scriptor *Julius Cesar* de Bello Gallico lib. VI. refert *Gallos Hermetem* omnium artium inventorem declaravisse, quo cum consentit *Fulgentius*. Sequitur

THESIS II.

Philosophia Hermetica seu experimentalis ab Hermete (α) Trismegisto (β) ita dicta est.

Ex. 95.



(α) **V**ix credendum est, Herculem proterentem Hydram tot tantisque insidiis circumdatum olim fuisse, quot & quantis Hermetis Manes post pia fata calumniis sunt subacti. Quidam enim plane negant, ejusmodi hominem unquam vixisse, cui nomen Hermetis fuerit, ut videre est in *Job. Heinr. Ursini* Dissert. de Hermete Trismegisto. Alii inter hominum horribilissima monstra referunt; Alii Magorum familiis annumerant: Imo alii in pravorum Dæmonum consortium referre non dubitarunt, inter quos cæteris palmam præripit *Hermannus Conringius* lib. 1. de Hermetic. Medic. cap. 2 & 11. Harum vero nugarum, plaustra exinde roborari videntur.

1. Quia vario & non uno nomine Hermes in scenam certis temporū intervallis productus est. Phœnicibus enim dicitur *Taautus*, Ægyptiis jam *Thoor*, jam *Toth*, jam *Thoyt*, jam *Theut* appellatus traditur, ut ex *Philone Biblio*, *Platone*, *Tullio* & aliis constat. Græcis *Hermes*, Latinis *Mercurius*, Germanis *Teuthas* *Ursin.* de Trismegisto sect. 1. aliis etiam *Tat.* *Vossio* lib. 1. de Idolol. c. XXXVII. *Thout* audit. Plura ejusdem nomina vid. apud *Georg. Hornejum* lib. 1. Histor. Philosoph. cap. 5. & 6. & *Wilh. Christoph. Kriegsmannum* in Tr. Taaut p. 5. seq. qui & singularem librum de Nominibus inventorum Chemiæ & in genere de persona Hermetis condidit, ad quem lectorem remissum volumus.

2. Quia diversi hoc nomine fuerunt culti, ut patet ex *Cicer.* lib. 3. de Nat. Deorum,

3. Quia tempus, quo vixit, à variis variè definitur. Alii enim *Hermetem* Philosophum Antediluvianum putant, de qua Philosophia vid. *Job. Jac. à Ryffel* Contin. tractatus de sect. Philos. cap. 1. *Eusebius* lib. 1. Chronic. *Borrichius* lib. de Ortu & Progressu Chemiæ, nec non *Marcellinus & Capella* &c. alii Mose antiquiorem, ut proximè allegati, alii juniorem, ut *Ursinus* l. c. & *Arnoldus* in spicilegio asserunt, quibus & *Vossius* in Tract. de Theologia Gentil. lib. 1. cap. 10 p. 75 ad stipulatur, qui addit, non verum sed supposititium scriptorem fuisse, imo Semi-Platonicum & Semi-Christianum, quo cum & idem sentit *Casaubonus* Exercit. 1. ad Baron. Sect. 10. Juxta computum *Eusebii* in Chronic. & *August.* lib. XIII. floruit circa tempora Jacobi Patriarchæ, quanquam *P. Athanasius*

Kir.

911.

Kircherus ipsi *Misraim*, alii verò *Abrahamo* æqualem fuisse velint, *Plejades Alchym. Tr. 1. cap. 1. p. 3.* produunt, *Hermetem* vixisse duo millia annorum ante *Christum* natum.

4. Quia non uno, sed diverso statu & vitæ genere depingitur. Aliis enim fuit *Noachi* Auditor, *Chusi* Præceptor & Scriba, ejusque liberorum *Isidis* & *Ostridis* Præfectus, sicut affirmat *Otto Heurnius lib. 2. Philos. Barbar. cap. 27.* Alii dicunt fuisse Regem *Ægypti*, ut *Nollus Phys. Hermet. Append. II. Tract. 1. dict.* Verus *Hermes* p. m. 700. Alii tandem Sacerdotem fuisse contendunt, quod eò probabilius videtur, quia apud *Ægyptios* iidem Reges & Sacerdotes fuerunt. *Ælian. de Var. Histor. Lib. XIV.*

5. Quia in ejus familia definienda autores inter se discrepant. Dicunt enim quidam hunc ipsum *Semum* fuisse, quidam *Melchisedecum*, quidam *Noachi* filium natu majorem, ut videre est apud *Rebefeld* in *Troph. Hermet. Hippocr. p. 92.* quidam *Chanaanem*, ut *Borrichius* & *Kriegsmannus*.

6. Quia varia à variis ipsi dogmata assignantur, de quibus *Siberius* in *Consider. XXI. de salute Christiana & Physica p. 198. sqq.* *Horæjus* de *Hist. philos. lib. 1. cap. 5. & 6.* magnus *Kircherus* in *Oedipo Ægyptiaco & Obelisc. Pamphil. 1. 1. cap. 3. p. 35.* *Hermannus Conringius* in *Medic. Hermetic. nec non Eduard. Stillingfleet* in *Orig. Sacr.*

Sed ad hæc quia ab aliis jam satis est responsum, nolumus propter chartæ angustiam in refutando prolixi esse, præsertim cum in conflictu ipso secus sentientibus satisfacturi simus. Id tantummodo hic monendum, quinque *Hermetes* à *Cicerone* lib. III. de *Natura Deorum* recenseri, quorum tres priores *Graji*, duo postremi *Ægyptii* fuerunt. Horum *Ægyptiorum* unus *Antediluvianus* fuit, & scripsit *libros Hieroglyphicos tabulamq; Smaragdynam*; alter verò *postdiluvianus*, qui libros ab *Hermete* priori scriptos in linguam *Græcam* vertit, referente *Joh. Heinr. Ursino* in *Exercit. de Hermete Trismegisto sect. 1.* *Olaus* verò *Borrichius* *Conspectu* *Scriptorum Chemicorum illustrium* §. 1. trium mentionem facit *Hermetum*. Primus modo dictus *antediluvianus* est, ab hoc prima artis magnæ semina per *Adami* posteros religiosiores & magis taciturnos propagata fuisse, dubitare nefas habet. Quanquam quæ in hoc genere per nebulam instituerit aperire posteritati,

scripto nusquam legatur consignasse, sed iussisse insculpi columnis quibusdam in abdito Syringarum Ægyptiarum non difficulter colligi autumat. *Secundus* ipsi, *Agorhodamen* ab aliis dictus, attenta speculatione Artis primordia hausisse videatur. *Hermetem* autem *tertium* pium atque ad Deum anhelantem Magistrum vocat, qui post varia experimenta, quibus frustra insudaverit, solius Dei vivi inspiratione artem, quod fateatur, perdidicerit, & hunc sapientum plerorumque iudicio, Platonicum quendam Semi-Christianum fuisse libenter concedit. Tres hi Hermetes unicam quasi ratione scientiæ nobis constituunt, ita ut omnia, quæ in hac nostra dissertatione commentati sumus, ad unum eorundem, secundum præsertim, qui post diluvium vixit, applicari possint.

Recensitis itaque his dicimus: *Hermetem fuisse hominem & quidem excellentissimum, Panfophum summum & incomparabilem, ita ut non temerè Trismegistus seu Ter-Maximus cognominatus sit.*

Fuit igitur *Hermes* 1. Homo isque excellentissimus, quod testatur *Clemens Alexandrinus*, Vir πολυμάθετος, & lectionis infinitæ, qui & ipse incola Ægypti, eoque de natalibus *Hermetis* sui certior, lib. 1. *Stromat.* Quin etiam, inquit, ex iis, qui aliquando fuerunt homines in Ægypto, opinione hominum autem Dii, fuerunt *Hermes Thebanus*, & *Æsculapius Memphitunus* &c. *Lactantius* lib. 1. *Hermes*, tametsi homo, fuit tamen antiquissimus & instructissimus in omni genere doctrinæ &c. Similia vid. apud eundem. lib. 1 post allegata & lib. IV. Conferantur *Philo Byblius* apud *Eusebium*, *Pamphil.* Præparat. Evang. lib. 1 cap. IX. *Plutarchus* de *Iside* & *Osiride*, *Diodorus Siculus* *Biblioth.* lib. 1. *Cicero* lib. III. de *Natura Deorum*. *Plato* in *Philebo*, *Phædro* &c. & *Synefius* in *Dione*.

Excellentissimus Homo Hermes fuit

(α) *In beneficiendo.* Homines enim fortuitis & inexpectatis lucris quandoque beavit *Hermes*, testante *Cornuto* (alii scribunt Phurnuto) de *natura Deorum Gentilium*, & *Luciano* in *Timæo*.

(β) *In ministrando.* Fuit enim magnorum principum Confiliarius. Sic refert *Diodor. Siculus* *Hermetem* fuisse ἱεγγοραῦτα ὁσφιδίς, quo cum omnia sua consilia communicaverit; fuisse & *Isidi* à consiliis, profecto ad exteros *Osiride*, item *Saturno*, de quo *Philo Byblius* ex *Sanchuniathon*e apud *Euseb.* de præpar. Evang. lib. 1. cap. X.

Her-

Hermes II. fuit *Pansophus* & quidem incomparabilis, ita ut omnium fere artium & disciplinarum inventor habeatur à *Platone*, *Philone Byblio*, *Tullio*, *Diodoro Siculo*, *Clemente Alexandrino*, & pluribus aliis. Hinc *Galenus* eum *Orat. Svas. ad Art.* vocat *ἐπὶ πάντων τέχνης ἀπαιτός*. & *Basilus Valentinus* part. II. opp. p. 362. Patrem omnium Philosophorum.

Hermetem invenisse

(a) *litteras*, testantur *Plato*, *Philo Byblius*, *Tullius*, *Diodorus Siculus*, & quomodo hoc accipiendum, docet *Diodor. Biblioth. lib. IV.*

(b) *Arithmetica* & *rationem supputandi*, testis est *Plato* loco supra citato, & *Strabo* lib. XVII. *Stobaeus Eclog. Phys. cap. II.*

(c) *Grammaticam* & *Musica*, affirmat *Plutarchus* de *Iside* & *Osiride*.

(d) *Mensuras* & *pondera*, juxta *Diodor. Siculum Biblioth. Hist. lib. V.*

(e) *Mathesin*, *Geometriam* & *Astronomiam*, refert *Plato* in *Phaedro*. *Astrorum* ordinem primus observavit, fatente *Diodoro* & *Mamilio Astronom. lib. I.* nec *Josepho Scaligero* in *Commentar. Manilii*; cui sententiae accedit *Julius Firmus Maternus*.

(f) *Ethices* doctorem summum extitisse, docet *Horatius Carm. lib. I. Od. X.*

(g) Nec non *Politices* magistrum. *Leges* enim dedisse fertur *Aegyptiis*. vid. *Diogen. Laertius* lib. I. *Cicero* lib. III. de *Natura Deorum*. *Aelianus* de *Var. Histor. lib. XIV.* Ut & utilissimum illud *Legationum* & *pacificationum Ministerium* invenisse perhibetur, apud *Diodor. Siculum* lib. V. *Biblioth. Hist. Aelian. de Var. Hist. lib. XII.* imo & *Negotiationum* lucra apud *Diod. Siculum. l. c.* Refert & *Manetho*, se formam sui regiminis descripsisse ex columnis *Hermeticis*, de quo videatur *Stillingfleet* loco supra citato.

(h) *Physices* cultorem peritissimum se exhibuisse, & animalium fuisse naturas scrutatum, testatur *Eusebius* ex *Phil. Byblio* & *Sanchuniathone* præp. *Evang. lib. I. cap. X.* Metallorum quoque naturas optimè scivisse, affirmat *Philo Byblius* loco proximè citato, & *Tertullianus* libro adversus *Valentinianos* *Mercurium Trismegistum Magistrum* omnium *Physicorum* declarat. Imo & *historiam* creationis perspectam habuisse, elucet ex *Hymno Homeri ad Mercurium*.



(i) *Jurisprudentia* quam gnarus fuerit, æstimandum lectori relinquimus ex iis, quæ sub lit. (h) hujus membri & antecedentis lit. (β) habentur, quibus addimus quæ habet *Ælianus* Var. Hist. lib. XIV. Ægyptii jura sua à Mercurio profecta esse jactant: *judices* autem apud Ægyptios iidem quondam fuerunt, qui & sacerdotes &c.

(k) *Medicinæ* egregiam operam navasse *Hermetem* nostrum, meminit *Galenus* Paraphras. Menod. Orat. Svas. ad Art. & *Cornutus* seu *Phurnutus* de Natura Deorum Gentil. hac de causa τῆς αἰσῶς *Hermeti* adjunctam esse asserit. Qua de re etiã videatur *Diodor. Siculus* lib. 1. *Jamblicus* de Myster. Ægypt. passim. *Plinius* Hist. Nat. Lib. XXV. cap. IV. & V. *Dioscorides* lib. IV. cap. CXCI. *Aëtius* tetrab. 1. Serm. 1. *Gerhard. Vossius* Physiolog. Christ. lib. V. Orph. Carm. de Corall. *Hippocrates* in Aphorismis. *Martianus Capella* lib. 3. de arte Gramm. *Clem. Alexandr.* lib. Strom. VI.

(l) *Chemiæ* quam peritus fuerit, docet *Nausicles* apud *Heliodor.* Æthiop. lib. V. non tantum verò *Chemicus*, sed etiam *Chemiæ* primus Autor extitit *Hermes* noster, ut refert *Olympiodorus Philosophus* de Divina & sacra arte Lapidis philosophorum, imo etiam ex metallis auri naturam confectionemque invenit hominibus, secundum *Cedrenum* Hist. Comp. p. 16. Edit. Reg. Paris. Confer. *Dionem Chrysostomum* lib. de Regno Orat. 1. utet Excerpta *Eusebii & Africani*, nec non *Chronicum Alexandrinum*, *Hales Arab.* & *Vincent. Cartar.* in Imaginibus Deor. Antiqu. Adde *Homeri* Hymnum in *Mercurium*. It. *Odyss.* 9. *Iliad.* 6. *Odyss.* 1. tandem

(m) & *Theologiæ Cultor* extitit, ut videre est ex *Sanchuniathonis* Histor. Phœnicum in *Euseb. Pamphilo* Præpar. Evang. lib. 1. cap. X. *Diod. Sicul.* Biblioth. lib. 1. *Stillingsfleet* Orig. Sacr. pag. 64. *Lactantius* lib. 1. *Hermes*, inquit, scripsit libros & quidem multos ad cognitionem divinarum rerum pertinentes, in quibus majestatem summæ & singularis Dei asserit, iisdemq; nominibus appellat, quibus nos Deum & Patrem &c. Id. Ego verò non dubito, quin ad veritatem *Trismegistus* hac ratione pervenerit, qui de Deo Patre omnia, de Filio locutus est multum, quæ divinis continentur arcanis. *Cyprianus* lib. de Idol. Vanit. *Hermes* quoq; *Trismegistus* unum Deum loquitur, eumq; ineffabilem & inestimabilem confitetur. Nec *Oswaldus Crollius*, vir pietate juxta ac eruditione summè conspicuus, fateri veretur, *Hermetem* nostrum

strum

915.
strum fuisse antiquissimum omnium Theologorum, & lapsum Pro-
toplastorum probè perspectum habuisse. vid. ejus Basilicæ Che-
mic. præfationem. Imo nec desunt testimonia, quibus evinci po-
test, Hermetem, S.S. Trinitatem agnovisse, credidisse & coluisse,
de quibus videantur *Svidas, Cedrenus & Pymander Hermetis lib. IV.*

Ex his itaque sole clariùs patescit, Gallos à Pythagora haud
dubiè edoctos, & *Fulgentium* cum aliis non immeritò Hermetem,
omnium Artium inventorem declaravisse. Ad Gallos præsertim
quod attinet, cujus gentis judicium deformare quis frustra labo-
raverit, *Julius Caesar* de Bello Gallico lib. VI. sequentia habet: *Gal-
li Deum maxime Mercurium colunt: hujus sunt plurima simulacra, hunc
omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum du-
cem: hunc ad quæstus pecunie mercaturasq; habere vim maximam ar-
bitrantur.*

(B) Ob hæc singulari à Deo concessa dona & excellentissi-
mas dotes ac merita, non frustra *TRISMEGISTUS* seu Ter-Maxi-
mus cognominatus est, teste *Lactantio* lib. 1. Alii specialiora at-
tendentes dicunt, ita cognominatum esse à triplici officio, quod
Excellentissimus *D. Vesti* affirmavit nuper in prælectionibus suis,
alii verò hac de causa ita appellatum autumant, quia Conditoris u-
niversi tres esse maximas facultates, unicam verò divinam natu-
ram, dixerit, inter quos *Cedrenus* nobis nominandus hîc venit.
Quamquam nonnulli restringant augustum nomē hoc ad scientiam
tantummodo Physico-Chemicam, & dicant, eundem ideo hoc ti-
tulo insignitum fuisse, quod omnium rerum hoc Macrocosmo
contentarum, atque in *TRIA REGNA*, Minerale nimirum, Vege-
tabile & Animale distributarum, perfectam & exquisitam scien-
tiam habuit. Conf. *Nollii* Phys. Herm. Append. 2. Tr. 1. cap. p. 700.
& *Stillingfleet* Orig. Sacr. p. 63. Illustris Comes *Franciscus Baconus*
de Verūsmio de dignitate & Augmentis scientiarum lib. 1. p. 2. Me-
ritò sane *Tullius* lib. 1. ad Attic. Epist. 3. de hoc: *Quod ad me de Her-
methena scribis, per mihi gratum est ornamentum Academiae proprium
mea: quod & Hermes, commune omnium &c.* Expositis his ponitur

THESIS III.

Philosophia igitur Hermetica vera

B 3

⊗

Et experimentalis (α) antiquorum sapientum non est studium altercandi, a Sophistis ad Academias translatum, (β) sed est omnium virium tam superiorum, quam inferiorum, (γ) alias rotundo spiritus universi creati (δ) nomine indicatarum, jucunda utilis Et salutaris scientia (ε).

EXDEMS.

In hac definitione *κατ' ἀρχὴν* Et *κτ' ἕξιν* procedimus, removendo quidem Philosophiam abusivè sic dictam seu sophisticam, deinde & ponendo loco illius veram Veterum Philosophiam, ista autem non solum ab illius Autoris, *Hermetis* nimirum, nomine, ut supra audivimus, *Hermetica* audit, sed &

(α) *Experimentalis*, quia *Hermetem* sequitur, (quem accuratiorum rerum naturalium cognitione, ex diuturnis observationibus experimentisque hausta, valuisse plurimum, nemo nisi hospes in omni antiquitate negaverit,) & evidentissimis rationibus & ocularibus demonstrationibus omnia, quæ tradit, mortalibus luce meridiana clariùs ob oculos ponit. Nostra enim Philosophia experimenta adhibet, non ut homines in admirationem rapiat, sed ut admiratione liberet, & multas sic dictas occultas qualitates ipsis revelet. Mediâ igitur ea ac regiâ viâ incedit, ne cadat in modo dictam Scyllam, & evitet

(β) Sophisticarum altercationem Charybdim, quam celeberrimus *Sturmius* Prælimin. *Physic. Hypothes. seu Electivæ Art. IV. §. 1.* ita depingit: *In Metaphysicorum auditoriis non nisi vocabularia quædam Et abstractionum Entis, Necessarii. Contingentis. Actus, Potentia, Unius, Veri, Boni, similiumq; terminorum Lexica dictabant; In Physicorum cathedris Materia, Forma, Elementorum Et c. nomina potius, quam res explicabant, Et questiunculis de vacuo, infinito, privatione Et c. inanibus detenti, solidiorem cælestium phænomenorum aliarumq; rerum plurium scientiam Mathematicis, Partium Animalium, Plantarum ac mineralium accuratiorum per investigationem, Anatomiam*

pu-

517

puta, Botanicam & Chymiam, Medicis ignavi & pudenda cedentes, qualitatibus suis occultis, facultatibus nutritivis, alteratricibus, austericibus, expultricibus sive plasticis, idq; genus aliis inanibus rerum docendarum vocabulis delectabantur. His merito addimus, quæ habet, Nollius in Append. 2. Phys. Herm. Tr. 1. p. 713. Hoc nostro, inquit, seculo & ante, in scholis publicis sapientiam veram altercando & disputando assequi nemo non in animum inducie suum. Et qui à studiosorum & litteratorum vulgo commendari laudariq; desiderat, animum totum vel ad refutationem aliorum scriptorum appellit, vel novas controversias movet. Verum ut in sapientia vulgari, quæ nihil arcani in se complectitur, illud studium merito probatur, cum indignis Philosophastris quiete animi, quæ insolida naturæ cognitione consistit, frui haud liceat: sic sincerior philosophia è contra quiete animi delectatur &c. Nec minus huc pertinere nobis videntur, quæ habet Galenus Paraph. Menod. O. rat. Svas. ad Art. ὁ δ' ἐπεὶ τῶν χορῶν, πάντες μὲν νόσμοι, καὶ πυχῶν ἐργάται, ἢ θεοὶ, ἢ δὲ θεῶν, ἢ δ' ἀνθρώπων μάχον. ἀλλ' ἐν μέσσοις μὲν αὐτοῖς ὁ θεός. quæ Ludovicus Bellisarius, Medicus Mutinensis, ita vertit: Mercurii verò chorus modestos omnes continet, eosdem artium peritos, non currentes, non exclamantes, non inter se dissidentes, sed inter quos medium Deus ipse locum teneat.

(γ) Vires easque efficacissimas omnibus superioribus & cælestibus corporibus, nec non terrestribus & inferioribus inesse, vel solâ experienciâ quotidianâ probatur, & ne herba quidem, quam vilis habeatur, efficaci sua destituitur virtute.

(δ) Spiritus ejusmodi universus creatus num detur, apud Philosophos tam veteres quam recentiores magna semper controversia fuit. Alii enim Cartesium sectantes Mechanismum, omniaque corpora, non tam ab interno, quam externo moveri principio statuunt; Alii concedunt quidem principium internum movens, per illud autem nihil aliud intelligunt, quam independens quoddam, nempe potentiam divinam ubique præsentem operantem: Alii tandem spiritum creatum & dependentem agnoscunt, per quem omnia ab intrinseco moventur. De omnibus his & similibus sententiis videsis pluribus Excellent. Hoffmanni Disp. de Universali agente in corporibus. Nos quod attinet, ingenuè fatemur, quod postrema sententia multis de causis omnium probabilissima nobis

vi-



videatur, quam & aliàs semper Eruditissimi & peritissimi rerum naturalium cultores selegerunt. Quos inter nominandus nobis venit subtilissimi ingenii à suis adversariis etiam dictus Anglus *Henricus Morus*, qui evidentissimè mentem suam hac de re declaravit in Enchiridio *Metaphys.* quibus adstipulantur *Paracelsus*, *Robertus Fludd*, *Helmontius*, *Marcus Marci à Kronland* / *Excellent.* *Thomasius* Tractatu de Essentia spiritus creati mox publicæ luci exponendo, *Leichnerus*, qui in animadversionibus ad *Phys. Kippingii* lib. X. cap. 3. de Spiritu mundi pro more suo heroicè scribit: *Nos animam quidem mundi propriè dictam & Spiritum, qui ejus forma sit informans, nulli admittimus: interim tamen spiritum aliquem mundi, seu communem quodammodo corporum naturam, sic adstruimus evidenter, ut simul & quod sit, & quid sit pateat.* Imo tota Illustris Facultas Medica in Hierana nostra hanc sententiam amplectitur. Cujus venerabilis Senior *Generosissimus Dn. ab Hartenfels* qui duplici gaudet bibliotheca, una mobili, quam secum ubique portat, in memoria, altera immobili, quam in ædibus suis inclytis asservat, gratiosè nobis rarissimorum quorundam, cum hæc meditaremur, copiam dedit. Quem cæteri hujus illustris ordinis Collegiati, præsertim *Excellentissimus Dn. D. Vesti*, & alii hac in beneficentia, strenuè imitati sunt. Ex veteribus nominandus hinc nobis venit, *Plato*, *Plotinus*, *Marsilius Ficinus* & *Hermes seu Mercurius Trismegistus noster.*

(E) *Philosophiam Hermeticam seu Experimentalem esse jucundam, utilem & salutarem, vel ex solo nostro programme nuper publicè affixo constare potest. Esse autem sapientiam & qualem, nunc est dispiciendum. Quod ut paucis complectamur, dicimus esse scientiam practicam, & in hac differre à Philosophia vulgari, quæ est scientia theoretica, & in nuda contemplatione objecti sui acquiescit, cum Philosophia nostra Hermetica è contrario ulterius progrediatur, & mediante arte naturam, non sine admirabili successu, quam plurimis in rebus perficere satagat, & hinc justò meritoque *Experimentalis* audiat, ponitur nunc*

THESIS IV.

*Subiectum hujus Philosophiæ homo
pius*

419.

pius, humilis, mansuetus, (α) Sobrius, (β) constans,
(γ) patiens, (δ) taciturnus, (ε) locuples (ζ) &
beneficus. (η)

"ΕΥΔΕΙΣ.

(α) **H**ermes lib. de Compositione: Qui in hanc artem & scientiam introduci vult, oportet arrogantia vitium à se repellere, & pium esse & probum, ac profunda rationis, hominibus humanum, & c. Deumq; ante omnia timere.

(β) Nollus. Phys. Herm. Prodr. cap. 1. p. 14. seq. Potationibus & voracitati non indulgeto, quia cerebrum inde crudis & indigestis vaporibus obruitur, atque longo tempore opus habet ad discutiendum & digerendum eos, ut ita animus cerebrum, quo tanquam instrumento meditationis utitur, ad suum usum, cum in alienis propulsandis tum occupatum fit, difficulter perturbare possit. Spiritus, quò profundius corporeis impuritatibus immergitur, eò difficilius suas exerit, & obit operationes. Corpus quò impurius est, eò minus aptum est actiones insiti spiritus promovere.

(γ) Lullius lib. de Animæ transmutatione: Non fatigeris, nec ab opere cesses, & invenies, quod optas. Conf. Rosar. phil. pag. 206. & Michael Sendivogius Tract. 2.

(δ) D. Thomas Aquinas: Qui patientiam non habet, ab operatione manum suspendat. Conf. Zenon in Turba Moses ibid. & Bacasar. nec non Lullius. cap. 19. theor. test.

(ε) Vid. c. 1. lib. D. Thoma Aquinatis ad Reinaldum. Augurell. 2. Chrysopœjæ:

Quæ scieris: verum secreto in pectore servans
Tecum habita, & tecum tantum ipsa arcana revolve, & c.

(ζ) Quia sumtus nostræ Philosophiæ impendentur, indigens, ex Aristotelis sententia, philosophari non potest.

(η) Conf. Lull. cap. 29. Theor. test. hæc nunc excipit

THESIS V.

Philosophia hæc Experimentalis ac
C Her-

*Hermetica ad nostra usque tempora stylo mystico,
anigmatico & parabolico propagata est.*

EX DEUS.

DE genere scribendi, quo Philosophi nostri semper fuerunt usi vid. Jamlich. de Myster. Ægyptiorum. Zosimus de arte Chemica scribit: Ægyptii columnis insculpsere in locis quibusdam tenebri-
cosis (i. e. in Syringibus) & quidem literis symbolicis spuris (i. e. non vulgaribus) tum sacras has artes, tum Chorographiam Ægypti, ut si quis ingredi auderet, propria industria & labore interpretationem Characterum ejusmodi spuriorum vagam, errantesq; explicationes non inveniret. & Ælianus Var. Hist. lib. VII. cap. XVIII. Ægyptios ajunt, patientissimè ferre tormenta, & citius mori hominè Ægyptium in questionibus tortum exanimatumq; quam veritatem confiteri. Plura qui volet, consulat, quæ de istinoc argumento olim scripsit Orus Apollo, ex recentioribus autem, Pier. Valer., itemque Athanasius Kircherus in suo Oedipo Ægyptiaco. Ut res eò clarior fiat, participem Lectorem Benevolum hîc reddere volumus rarioris cujusdam MSti ab adepto quodam manu propria consignati, quod benevolentia Viri cujusdam magni nominis ad nos pervenit, & suppressis genuinis & veris varias ob causas, fictis hîc ponitur nominibus:

D. MENO SEEDVVIZ.

Conjuro te per Deum vivum, Primam Potentiam, Primam Sapientiam, Primum Amorem, testem inter me & te, ut qualiberè & tua sponte promittis sequentia, prestare satagas, ut bonum & Dei amantem virum decet:

Taciturnitas.

1. Ut Secretum secretorum quod tibi præmeditatè nec inconsiderato animo aperui, tanquam secretum custodias, nulli mortalium nec directè nec indirectè aperias, nisi me vivo & libero tribus vicibus per diversa tria tempora bono animo consentiente: post mortem meam conscientiam tuam onero, ut facias quod in tanta re decet.

Usus & Abusus.

2. Ut utaris, sicut fas est, & ut Philosophi voluerunt, non abutaris, ut illi prohibuerunt; Id est utaris ad sustentationem tui & proximi sanctè, Christianè, humiliter. Non abutaris ad superbiam, luxum, vanam gloriam, nec tuam, nec aliorum in consequentiam sive directè sive
in-

821.

indirectè, ideoq; cave magnates, superiores, qui non considerata ratione
& circumstantiis possint extorquere. Imo ex divitiis non participent
nisi pauperes, ex sanitate verò cuncti pro fideli & circumspecta dispensa-
tione.

3. Ut fideliter, probè & sine fuce, & grato animo mecum agas, & Fidelitas
absoluta operatione dimidiam rei partem mihi in manus meas tradas, in-
terim verò quomodo operatio succedat de triduo aut octiduo in triduum
aut octiduum diligenter annotes, & ad me fideliter, rectè tamen & phi-
losophicè perscribas, expectesq; sicubi opus erit monitiones.

Deus tibi benedicat, si hac candidè observaveris & prudenter e-
geris; si non; maledictiones Philosophorum nostrorum, quas malis
doctrina filiis imprecati sunt, imprecor.

THEOPHILUS ANTHON, mppria.

in saltibus Thuringicis

Obernhoffii a. d. X. August. Anno Epochæ
nostræ ∞ 19 CXXIV.

Prescripta illa omnia me liberè, sincerè & Christiana fide observatu-
rum esse, & promitto, & meo genuino sigillo confirmo, Ita me Deus ad-
juvet.

[L.S.]

MENO SEEDVVIZ, mpp.

Videmus igitur ex his, quam secretè Philosophi veri tractent
res suas, non solum quoad stylum, sed & conjurationes, quibus ob-
stringunt discipulos, ne propalent scripta communicata. Hac cau-
tione & uti in omnibus processibus & libris suis, ex diligenti lectio-
ne eorum quivis facile nobiscum deprehendet. Cæterum con-
jurationes taciturnitatem concernentes, silentio prætereundum.
jam non est, omni studio Philosophos nostros iis, quibus peculiari
Numinis æterni providentia Dianam nudam spectare nostram da-
tum est, obicem posuisse, ne cuiquam indigno Eleusinia hæc sacra
aperirent: Sic Rosarium Philosophorū habet: Qui revelat secretum Ar-
tis, maledicetur & moriatur apoplexia. Nec mitior Lullius in Practica:
Sub anathematis pœna, inquit, prohiberis, ne alicui discooperias, nam
à Deo maledictus est, qui discooperit. Et ideo Philosophi sic celaverunt,
& , Deo dante, celabunt futuris temporibus. Idem Lullius in Testa-
men-

mento novissimo: *Ne thesaurum, inquit, indignis dispergas, ne Deus
judicium à te deposcat.* Tandem & modo dictus Autor in *Theoria:*
Juro tibi, supra animam meam, quod si ea reveles, damnatus es, nam à
Deo procedit & ei debetur. Similem in modum fulminat *Aqua-*
rium sapientum: si, dicit, cuiquam indigno aut impio *Arcanum revela-*
veris, aeternae salutis facies jaeturam. Non solum verò Chemici ge-
nerales has conjurandi formulas habent, sed speciale suum jus ju-
randum, quo Candidatos suos initiare soverunt. Magistorum
Chemiae ethnicorū in Bibliotheca Regis Christianismi ex libro *Isi-*
dis ad Filium Horum Borrichius tale invenit: Ὀρκίζω σε εἰς ἕρμῆον,
γῆν, Φῶς καὶ σκοτεινόν, Ὀρκίζω σε εἰς πῦρ, καὶ ὕδωρ, Ἐὐερα, καὶ γῆν Ὀρκί-
ζω σε εἰς Ἑρμῆον καὶ Ἀνθρῶπιον, ὕλαγμα, καὶ νεκρῶν δράκοντα τὸν Φύλακα,
Ὀρκίζω σε εἰς πορθητὸν ἐκείνο, Ἐὐχαιροῦσα ναυτίλον, Ὀρκίζω σε εἰς τὰς
ἐρεῖς ἀνάγκας, καὶ μάστιγας, καὶ Ζίφθον, τὰς με ἐφορκίσεις παρήγει-
λεν, μηδενὶ μετὰδιδῶναι, εἰ μὴ μόνον τέκνω Ἐφίλω γησίω, ἵνα εἴ αὐτὸς
σὺ, καὶ σὺ εἴ αὐτός. Christianorum vero artis Magistorum tale
nobis exhibet: Ὀρκίζω σε, καλὲ παῖ, εἰς μακαρίαν καὶ σεβασμίαν
τριάδα τὸ ἅγιον μὴ ἀπορρίπτειν κυσί. Succedit

THESIS VI.

*Philosophia Hermetica & Experi-
mentalis ob affectatam scientiam, verborum ja-
ctantiam & avaritiam Sophistarum valde
fœdata & convitiis est exposita.*

Ἐκθεσις.

QUOD Reipublicæ aliàs benè constitutæ tria sunt hæc mala An-
nonæ charitas, Pests & Bellum; hoc Philosophiæ nostræ
nominata hac in thesi vitia sunt, quæ tam arcte inter se
sunt copulata, ut unum ab altero separari nequeat, adeo ut si quis
Sophistam verum depicturus, dicta vitia hæc in scenam modo
producat, effectum det, quod sibi propositum habuerit. Avari-
tia enim adacti ad mentiendum, ambitiose jactant se omnia scire,
præsertim, ut Rosarii verbis utar, decepti ingenii sui tarditate ad
ino-

inopiam deducti, alios etiam tentant seducere, & in miseriam compellere. Hinc tot convitia *Philosophia nostra innocentissima* semper perpeffa est, & non immerito *Olaus Borrichius* in Tr. de Sapiaentia Hermetis, Ægyptiorum & Chaldæorum Præfationem ad lectorem sequentem in modum orditur: *Ne infelix nostra conditio est, qui e-ruendis Chemia ministerio Natura arcanis operam addiximus: Domi inquiamur fuligine, exedimur sumptibus, mordacesq; inter mineraliū habitus conficimur; foris etiam ab eruditis (nam vulgi dissonas voces spartanā concoquimus nobilitate) vellicamur, sed ab iis, qui turbidis quandoque animi motibus indulgentes eruditione sua abutuntur, & fecunditatem ingenii jam ira sua servire cogunt, jam amicitia. hætenus Borrichius.*

Verum enimverò inter hæc mala nolumus abjicere hastam, quia semper adhuc iudices æqui adsunt, qui verum à falso probè norunt discernere. Qui enim *σοφισματα* Sophistarum cognita habent, veris hujus Philosophiæ cultoribus convitiis nunquam molesti sunt.

Sunt autem Sophistæ ii, qui vel talia se scire jactant, qualia nunquam prius cognita habuerunt, vel qui sequentibus inter cætera res suas colorare consueverunt. I. Pluribus operationibus, calcinationibus, solutionibus, congelationibus&c. insudant. II. in illo laborant, quod in se tincturam Philosophis notam non habet. III. Variis in vasis suas materias coqvunt. IV. Ingentes sumptus ad Magisterium requirunt. V. Processus habent scriptos, secundum quos operantur, illosque ære venales esse perhibent. VI. Ul- tro Magnatibus sua officia deferunt, atque iis artem auri conficiendi pollicentur. VII. Assseverant se sæpe fecisse, si tum habuissent necessaria. VIII. Se maxima cum diligentia per multos annos ad fornaces suas adsedisse, & sine intermissione operatos fuisse, imo magnam carbonum molem consumfisse prædicant. IX. Ex lumine naturæ rationem sui operis exponere nesciunt: sed sine rationibus suam scientiam veram esse garriunt, adduntque sæpe, se arcanorum fuisse participes redditos à Docto quodam viro, quem fingunt, ut alterius eruditione fraudes & sophismata sua tegant, velentque, de his & similibus aliis pluribus vid. *Nollius Append. II. Phys. Herm. Tr. 1. p. 715. seqq.*



THESIS VII.

Attamen ob Antiquitatem, (α) singularem præstantiam, (β) imo varias utilitates (γ) è tenebris eruenda, à Sophistarum nugis purganda, & pristina integritati est restituenda Philosophia nostra.

Ἐκ τούτου.

(α) **O**Mnium antiquissimam Philosophiam nostram esse, nemo est qui dubitat, id quod & pluribus evidentissimis argumentis & testimoniis jam pridè demonstravit *vov ἐν ἀγίοις Kortholt* in Tract. singulari de Origine, Progressu & Antiquitate Philosophiæ Ægyptiacæ, Chaldaicæ, Persicæ, Indicæ & Gallicæ. Operæ pretium verò erit unum alterumve propriis hac de re differentem verbis audire. Sic *Tatianus Assyrius* sub initium Orationis suæ ad Græcos scribit: *Non decet vos, O Græci, odio tanto prosequi Barbaros, & ipsorum placitis invidere. Quod enim apud vos studium, nonne à Barbaris traxit originem? & multis interjectis: Illud ago, inquit, ut Philosophiam nostram multo Græcorum studiis antiquiorem ostendam.* Sic *Tatianus*, qui, quod pollicetur, operosè præstat, Chaldæis, Phœnicibus, Ægyptiis, imo ipsi Græcis in testimonium adhibitis, dicto apud Græcos sermone, quem *florentissimum librum* appellat *Hieronimus* lib. de Scriptor. Eccles. c. XXIX. Nec minus *Clemens Alexandr. Vir*, iudice *Casaubono* Exerc. 1. n. 1. *inexhauste doctrine*, lib. 1. Strom. c. 7. scribit: *Philosophia res variè utilis, olim quidem viguit apud Barbaros, per gentes sparsim resplendens, postremo denique ad Græcos etiam venit.* Plura qui desiderat, videat *Euseb.* lib. X. de Præpar. Evangel. *Theodoretum* lib. 1, de curatione Græcarum affectionum, *Theophilum Antiochenum* in libris ad *Autolyicum*, in quorum ultimo de argumento hoc utramque facit paginam, nec non *Iosephum* in libris contra *Apionem Alexandrinum*.

(β) Singularis præstantiæ ejusdem & prærogativarum momenta, quæ præ Philosophia Græcorum aliorumque habet, vide sis apud *Franciscum Patritium* Discuss. Peripat. Tom. 2, lib. 2. & 3. & Tom.

Tom. 3. lib. 1. illustrem *Franciscum Baconem de Verulamio* in libro de Sapiencia Veterum. de Augm. scient. lib. 1. p. 24. seqq. l. 5. p. 127. *Tatianum Assyrium* in Orat. ad Græcos & alios, imo sanctos Ecclesiæ primitivæ patres *Eusebium Pamphilum* Præpar. Evang. lib. X. c. 1. 3. 4. *Clementem Alexandr.* Strom. lib. 1. 3. 5. & 6. *Dionem* in Troicis &c.

Dignitas sane & præstantia *Philosophiæ nostræ Experimentalis & verè Hermeticæ*, quæ *Ægyptiorum Philosophum Ter maximum* Autorem veneratur, vel exinde judicari potest, quod ipse sacer. codex, *Salomonem Regem* à Sapiencia commendaturus, illum cum *Ægyptiis* contendit, doctrinæ nimirum laude clarissimis. 1. Reg. IV. 30. quodque *Mosen*, illum Dei virum, hoc nomine prædicat, quod à Pharaonis filia adoptatus & educatus, ejusdem jussu in omni *Ægyptiorum* sapientia institutus fuerit, Act. VII. 22. Non solus autem *Moses* ab *Ægyptiis* eruditus fuit, sed ipsi etiam *Græcorum* celebratissimi *Philosophiæ suæ* maximam partem ab illis gentibus hauserunt. Sic *Thales Milesius*, *Jonicæ* sectæ autor, idemque ex septem illis *Græciæ* sapientibus unus, *Ægyptiorum* discipulus fuit, ut testatur *Diogenes Laertius* lib. 1. *Clem. Alexandr.* lib. 1. Strom. cap. 6. *Theodoretus* lib. 1. de Curat. Græc. Affect. Ejusdem svasu *Pythagoras* etiam, qui *Italicam* condidit sectam, in *Ægyptum*, ad *Sacerdotes Memphiticos & Diospoliticos* se contulit, ut autor est in ipsius vita *Jamblichius*, quo cum confer. *Diodor.* sicul. lib. 1. Bibl. Hist. p. 2. *Isocratem* in *Busiride*, *Plutarchum* libro de *Iside & Osiride*, *Apulejum* in *Floridis*, *Plin.* lib. 34. c. 17. lib. 25. c. 2. lib. 30. cap. 1. *Justinum Martyrem* priori ad *Græcos* parænesi. *Hieronym.* Epist. c. 3. ad *Paulin & alios*. Hæc pro demonstranda dignitate & præstantia *Philosophiæ nostræ* pro tempore sufficiant, quæ primævum *Ægyptiorum Doctorem Hermetem* sequitur.

(γ) Vide ad Thef. III. lit. (ε)

THESIS VIII.

Quod ut fiat, sequentia veræ & falsæ Philosophiæ sibi invicem opposita sex præcepta studiosæ juventuti semper sunt ob oculos ponenda.

Ex JE-



PHILOSOPHIÆ PRÆCEPTUM.

*Vera & Experimentalis.**Falsa & Verbalis.*

Purga Cor.	I.	Reple Cerebrum.
Ora.	II.	Labora.
Sapientiam veram e- rue experiundo.	III.	Sapientiā thesaurum col- lige ex Sophistarum nu- gis.
Naturam cuiuscunque rei ex natura ipsa judi- ca.	IV.	Naturas rerum occulta- rum ex infinitis librorum lacunis disce.
Admirare in Creaturis Sapientiam Creatoris.	V.	Creatore suo loco reli- cto ad Creaturas atten- de.
Conversare amice cum Viris verè probis, ob- scuris etiam aut con- temptis.	VI.	Nullum cura, nisi qui cothurno periculo ince- dit, & sesquipedalia ver- ba, licet minus probus sit, crepat, in ejusdemque memorandis & descri- bendis assertis suda.

FINIS.

1535 66


ULB Halle 3
005 308 526



R

W 17







27 795

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
PHILOSOPHIA
HERMETICA VERA ET
EXPERIMENTALI,

Peregrinationum Subterranearum Ilda
ad Tumulum Magni Hermetis consignata,

Posteaq;

IN ALMA ELECTORALI AD HIERAM
DIVINA FAVENTE GRATIA

&

Annunte Amplissimo Philosophorum Ordine
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS KIESLINGII,

Philosophiæ Hermeticæ & Experimentalis Prof. Publ. &
Assessoris Facult. Philosophicæ Extraord. &c,

Publicæ Eruditorum Disquisitioni exposita

^A
JOHANNÉ NICOLAO MARTIO, Erf.
Medicinæ Studioſo,

DIE XXVII. SEPTEBRIS STYL. VET. ANNO M DC XCIIX.

In

AUDITORIO PHILOSOPHICO COLLEGII MAJORIS
horis consuetis:

Erfarti, Literis Davidis Sumphii.